



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio XLI. Jesus Christus & hic crucifixus quomodo in SS.
Eucharistiæ Sacramento sit considerandus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO XLI.

JESUS Christus & hic Crucifixus quomodo in SS. Eucharistiæ Sacramento sit considerandus ?

Quotiescunque manducabitis Panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis. Cor. II. 26.

I.

Diversos quondam ritus ac ceremonias præscripsit DEUS, quomodo Agnus Paschalis sit immolandus, & DEO consecrandus. Imprimis voluit, ut comedentes illum, tenerent baculos in *Exod. 12. II. manibus.* Baculus iste præfigurabat Dominicæ crucis memoriam, unde S. Augustinus: *Nos de cruce Domini pascimur, quia 3. August. in corpus illius manducamus.* Et in alio loco idem S. Pater: *Jacob in baculo Psal. 100. pertransiit Jordanem, & Christus ad redimendam Ecclesiam suam detulit Crucis erco. 79. de lignum.* Agnus ille ab Israëlitis manducari debuit eum lactucis agrestibus: *Edent carnes assas cum lactucis agrestibus.* Supra quod Thomas Kemp. *Temp. Tho. Kemp. conc. 32.* *penis: Quis est, qui agnum assum cum lactucis manducat? Qui Christum in cruce passum dolenter cogitat, & innocenter vivendo se castigat; lactucæ enim sunt valde amaræ, & amaritudinem Passionis Christi, ac præviam ante sumptionem SS. Eucharistiæ præsignant pœnitentiam.*

Agnus ille legalis typus erat Eucharistici & Crucifixi JESU, assatus in igne, & veru ligneo suspensus. Supra quod S. Justinus Martyr: *3. Justin. M. Agnus ille, quem assum jussu Dei esse oportebat, Passionis, supplicisque crucis, quò in dial. coa. Christus affigendus erat, fuit significatio.* Rogo te, Lector prudens & Stauro-Thyph. *phile! considera agnum pendentem in ligno, occisum, excoriatum, cruentatum, & exinde veru tostum, & nihil aliud invenies, nisi JESUM & hunc crucifixum igne amoris in veru ligneo S. Crucis pro nobis assatum.*

2. Sed & hic in SS. Eucharistia est ille Agnus divinus, qui olim pependit in cruce; proinde rectè Concilium Tridentinum: *Una eademque*

U 2

Self. 13. c. 5. *démque est Hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obrulit, solâ offerendi ratione diversâ; quam rationem diversam paulo post subjungit eadem Sacra Synodus: In hoc, inquit, divino Sacrificio inveniunt immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obrulit. In cruce factus est JESUS propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Ibi lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Quod idem præstat in SS. Sacrificio missæ, & in sumptione SS. Eucharistiæ verè dispositis. O igitur Sacrum Convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria Passionis ejus, & futura gloria nobis pignus datur. Et quid plura requiris, si hoc pignus habes?*

1. Jo. 2. 2.
Apoc. 1. 5

Ecclesia ad
Magnif. in
fest. Corp.
Chr.

Gen. 18. 4.

Novarin.
Agn. Euch.

3. Reg. 19. 5

1. Cor. 11. 26.
Theophil.
hic.

3. Sedet Abraham Patriarcha in convalle Mambre in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei, & circumspiciens vidit tres ad se venientes venerandos hospites, surgit, & in occursum se parat, invitans eos humiliter ad prandium, & donec pareretur cibus, eos impensè rogat: *Requiesce sub arbore, ponamque buccellam panis, & confortate cor vestrum.* Novarinus hoc applicat ad Mensam Eucharisticam cum memoria Passionis sumendam: *Sub arbore crucis requiesce Eucharistia panem comesturus.*

4. Elias inter tot impiæ Jezabelis persecutiones, cum ab omnibus desertus in desertum fugeret, lassus sub umbra juniperi obdormire cœpit: *Projecitque se, & obdormivit in umbra juniperi.* Interim adest de cœlo nuntius Angelus, excitans eum de somno, illique panem subministrans subcineritium, ex cujus vigore Propheta confortatus, *ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb.*

Facta sunt hæc in figura, scripta sunt autem propter nos. Lyranus & Dionysius Carthusianus cum aliis per hunc panem subcineritium SS. Eucharistiam intelligunt, & per juniperum Dominicam crucem: *Per spinosam juniperum intelligitur crux Salvatoris.* Ecce quàm mirabiliter Panis Eucharisticus & crux convenire, & conjungi soleant; unde rectè Gentium Doctor Paulus omnibus ad Sacram Synaxin accedentibus ait: *Quotiescunque manducabitis Panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Supra quod pro reflexione morali eleganter Theophilactus: *Eo, inquit, affectu debetis esse inbuti, cum sumitis Eucharistiam, perinde quasi in illa ipsa Christi essetis vespera, adeoque cœna, eidemque accumberetis thoro, & ab ipso Christo acciperetis Sacrum istud: illa enim ipsa est cœna, & illam ipsam mortem annuntiamus, id est demonstramus usque ad secundum ejus adventum.* Collige ex hoc extremum Christi in nos amorem, quo pro nobis mortem subire voluit, ac tam indigna pati, quorum omnium memoriale est SS. Eucharistia. Et quid nos?

5. David inter tot decumanas persecutiones, rerumque ac vitæ discrimina dicere, & sic seipsum animare solebat: *Et si ambulavero in medio umbra mortis, non timebo mala.* Et cur non, Rex Serenissime? ipse respondet: *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Et qualis virga ac baculus? Observa: Crux Dominica & virga & baculus vocatur: Virga Moysis, quam tenens manu in monte Horeb hostes Amalecitas devicit, & baculus, quo Jacob Jordanem pertransivit; hæc, inquam, virga & baculus Prophetæ Regio in omni tribulatione solatio erant: *Ipsa me consolata sunt.* Et quid immediatè in eodem Psalmo sequitur? *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Et qualis hæc mensa? Respondent le Blanc & communiter Interpretes, *Mensa Eucharistica*, quam David jam tunc in umbra prævidit, quæ ipsum cum cruce consolata est. Ita Hugo Carenfis hic. Ex quo infert Novarinus: *Crucem meditare ad Mensam Eucharisticam accessurus.* Et hæc est optima ad Sacram Communionem dispositio; hinc primi Christiani non aliter, quam manibus in crucis formam supra pectus compositis, ad hanc divinam Mensam solebant accedere, ut se magis Christo crucifixo conformarent; Ita S. Joannes Damascenus: *Ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibusque in crucis formam compositis, crucifixi corpus suscipiamus &c.*

Psal. 22. 4.

Exod. 27. 9.

Gen. 32. 10.

Novarin.

Agn. Euch.

S. Jo. Dam. lib. 4. de fide Orthod. c. 14.

6. Imitemur Sponsam, quæ, ut suos erga Dilectum suum explicaret amores, illum fasciculo myrrhæ assimilavit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Et quomodo fasciculus myrrhæ? Ludovicus Pontanus: In SS. Eucharistia est Christus instar fasciculi myrrhæ, dum ejus recolimus Passionem & Crucem; sed mox subjungit eadem Sponsa: *Botrus cypri dilectus meus mihi;* Et quid dulcius Cypri botro? amara quidem tibi videbitur prævia ante Communionem meditatio de Christo passo, crucifixo & mortuo, sed & hæc ipsa amaritudo vertetur tibi in optatam dulcedinem; sic imitaberis sedulam apiculam, quæ ex amaris flosculis dulcissimum mel colligit, hinc lemna: *Ex amaro dulce.*

Cant. 1. 12.

7. David Rex ingenti quondam desiderio anhelabat ad aquas de cisterna Bethlemica: *O si quis mihi daret potum aqua de cisterna, qua est in Bethlem!* Christus Filius David majori adhuc desiderio sitiebat fontem passionis suæ, generisque humani redemptionem: *Desiderio desideravi manducare hoc pascha vobiscum, antequam patiar.* Poterat quidem Dominus hoc sacrosanctum ac divinissimum Sacramentum alio tempore instituere, sed tempus expectavit Passionis suæ, & quidem ultimam noctem, quâ imminente solemniter illud instituit, illóque se ipsum, si ita liceat dicere, & discipulos suos communivit, ut ostenderet

2. Reg. 23. 15.

Luc. 22.

nos quoque urgente aliqua afflictione, aut persecutione taliter esse roborandos.

Et hæc causa est, quòd primi fideles, cùm à tyrannis ad tormenta & cædes ob Christiani nominis confessionem raperentur, prius hoc SS. Sacramento reficerentur, ne dolorum acerbitate victi, in illo certamine deficerent; hinc S. Cyprianus: *Idoneus esse non potest ad martirium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium: Et mens deficit, quam recepta Eucharistia non erigit, & accendit.* Eliam consule, de novo per panem subcineritium, prout dictum est, erectum & accensum. Si hoc olim in umbra, quid nunc in veritate?

S. Cyprian. ep.
54. ad Cor.
ncl. Pap.

Ex vita S.
Bonav.

8. Pro exemplo nobis inserviat S. Bonaventura Doctor Seraphicus, Christi Crucifixi ac Dolorosæ Matris ejus amator & cultor Zelotissimus, qui vix natus annos 14. mundum valere iussit, & Ordinem S. Francisci ingressus est, sub cujus tamen umbra frustra humilis latitare potuit, dum totius Sacri Ordinis Generalis electus, & exinde à Gregorio X. P. M. ad purpuram pertractus est. S. Thomæ Aquinatis Bibliothecam illius, è qua tam eminentem hausisset scientiam, videre cupienti, Crucifixum ostendit. Tanta erat illius pietas erga Venerabile Sacramentum, ut aliquando, cùm ex humilitate à Sacro legendo abstineret, Angelorum ministerio illo cœlesti pabulo fuerit recreatus. Moriturus, cùm vomitu laboraret, & SS. Eucharistiam fumere non posset, rogavit, ut saltem ejus pectori admooveretur; Et ecce ingens prodigium, pectus se ipsum, instar fragrantis & maturæ rosæ aperuit, & SS. Eucharistia ultro cor ejus penetravit. Considera ex hoc, qualem ac quantam hic Seraphicus Doctor ex Vulneribus Crucifixi hausserit scientiam ac amorem. O si & tu tanto amore flagrares in Christum pendentem de cruce, vel in SS. Eucharistia delitescentem!



CON-